

quotidianum da nobis hodie, et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris, et ne nos patiaris induci in temptationem, sed libera nos a malo. Amen. Ante omnia pacis doctor atque unitatis magister sigillatim noluit et privatim precem fieri, ut quis cum precatur, non pro se tantum precetur. Non enim dicimus, pater meus, qui es in coelis; nec panem meum da mihi hodie: nec, dimitti sibi tantum unusquisque debitum postulat, aut ut in temptationem non inducatur, atque a malo liberetur, pro se solo rogat. Publica est nobis et communis oratio: et quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo oramus, quia totus populus unum sumus. Deus pacis et concordiae magister, qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit. Hanc orationis legem seruaverunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, et spiritus consentione concordes. Quod declarat scripturae divinae fides, et dum docet quomodo oraverint tales, dat exemplum, quod imitari in precibus debeamus, ut tales esse possimus. Tunc illi tres, inquit, quasi ex uno ore hymnum canebant, et benedicebant Dominum. Loquebantur quasi ex uno ore et nondum illos Christus, in carne visus, docuerat orare. Et idcirco orantibus fuit impetrabilis et efficax sermo, quia promerebatur Dominum pacifica, et simplex, et spiritualis oratio. Sic et Apostolos cum discipulis post ascensum Domini invenimus orasse. Erant, inquit, perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus et Maria, quae fuerat mater Jesu, et fratribus ejus. Perseverabant in oratione unanimes, orationis suae et instantiam simul et concordiam declarantes, quia Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo, non admittit in divinam et aeternam domum, nisi eos, apud quos est unanimis oratio. Qualia autem sunt, fratres dilectissimi, orationis Dominicæ sacramenta, quam multa, quam magna,